

III PETRI BEMBI

dius de veteribus in honore erat. (a) Ergo, si verum quaerimus, nihil ante Bembi aetatem Latine scriptum octingentis ipsis annis, aut eo amplius est, quod Romam illam veterem redoleat; aut magnopere lectione dignum sit: soloecismum enim vitabant, quantum quidem ex arte grammatica didicerant, idque ipsum haudquaquam semper: id unum praestare qui poterant, Latine loqui se se putabant: nulli, qui purus ille incorruptusque veterum Romanorum sermo esset, noverant, ac ne suspicabantur quidem. Par erat atque idem eorum error, qui Italice scribebant: qui cum duos haberent scriptores, mea quidem sententia, vel cum Latinis, vel cum Graecis conferendos: nam alterius versus & suavitatis plurimum habent & dignitatis, & variis ingenii, aut etiam artis luminibus referti sunt, & animum saepe permovent atque impellunt, ut de amore ne Graecus quidem quisquam melius; alterius oratio dulcis, copiosa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quae legas, non narrari videantur. Hos cum haberent auctores duos, utrumque in suo maxime genere excellentem, scribebant ipsi inepte, abjectissimis verbis; nullus erat orationis ornatus, nullae homine erudito dignae sententiae, nulla compositionis, aut numerorum ratio. licet in manus sumere, quae tunc multi scriptitarunt, (b) praeter unum Politianum, illumque ipsum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legisse Petrarcae lectissimos versus videatur; ceteros ad unum indignos dicas, qui in scriptorum numero habeantur. unum scurrile vigeat genus; in eo sane ridiculi nonnulli; sed ipsi quoque multis in locis inertes ac languidi. Hanc igitur inter erroris atque incertitiae caliginem Bembus ad veterum scriptorum tamquam lumen ac lucem (c) respexit primus, primusque ab hominibus, magnis quidem hortationibus, magno suo labore, multis reclamantibus ac repugnantibus, impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilii, ut Caesaris similes se se in dicendo, quam Apuleji, Macrobiani, Statiique esse mallent; cum contenderet oportere, qui scriberent, eam dicendi formam, quae optima esset, habere animo & cogita-

(a) Ergo si verum quaerimus, &c. Idem est Danielis Heinsii de Bembo iudicium oratione XVIII. pag. 217. edit. Amstelod. M. DC. LVII. quod scilicet solus prope ea tempestate latine scriberet, & quod proprium tum Italorum erat, puram ac ingenuam, nec calami stris ullis, aut pigmentis infuscatam atque inusitam excluderet orationem. Tantam autem ex hac linguarum italicæ ac latinæ reconditori scientia Bembus voluptatem capiebat, ut Speronius dialogo de linguis pag. 103. ubi illum cum Bonamico aliisque colloquentem inducit, ejus ore sensuque asserat, se, quantum linguarum notitia valebat, cum Mantuano marchionatu minime commutaturum.

(b) praeter unum Politianum, &c. Castigatissimus in scribendo & latine & italice Politianus fuit; quippe qui iis erat instructus ingenii viribus, ut regnantem per illa tempora barbariem totius Latii, totiusque Italiae finibus posset depellere. Minus tamen eum, non Casa solum, sed alii quoque laudant, quod nullum sibi ad imitandum optimum auctorem proposuit. Haud semper itaque ita purus emendatusque est, ut nihil desiderandum reliquerit. Scioppius Dissertatione de Rhet. exercit. generibus pag. 27. ita de illo judicat: Ab hoc vitio non satis Politianus cavet, etsi id eum ingentibus virtutibus aliis redimere fatendum est. Eadem tradidere Gyraldus dialogo de poet. nostr. temporum; Paullus Cortesius epistola de imit. Julius Caesar Scaliger VL Poetice libro, atque alii. Quin Politianus ipse styli unice suum, ingeniumque nulli additum videtur jactare lib. I. epist. I. his verbis: Est autem omnino stylus epistolarum mearum ipse sibi dispar: quo nomine multum quoque scio, reprehendar. Nam nec eadem mihi semper voluntas, nec idem, cuique vel personae, vel materiae congruebat.

(c) respexit primus Ita Varchius in Herculano pag. 24. PRIMO il Bembo di tutti osservando le regole della grammatica, e mettendo in opera gli ammaestramenti del bene e artificiosemente scrivere, l'imidò (Petrarcham scilicet) da dovero, e rassomigliandosi a lui, mostrò la piana e diritta via del leggiadramente, e lodevolmente comporre nella lingua fiorentina. Carolus autem Lenzonius, Flo-